

indultorum, facultatum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari semel, vel pluries, quoquo modo debuissent, aut ex alia quantumvis iuridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam, quantumvis magno, ac formali, et substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, seu in controversiam vocari nullatenus posse sed semper et perpetuo, validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et intergros effectus sortiri, et obtinere debere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore, quandocumque spectabit, inviolabiliter observari.

Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate, praecellentia, aut potestate fungentes, et functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos; sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, iudicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari.

Non obstantibus nostra, et Cancellariae Apostolicae, regula *de iure quaesito non tollendo* nec non aliis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac praedictae almae Urbis Nostrae, eiusque Camerae, et magistratuum populi romani, statutis, usibus, styliis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, facultatibus, indultis seu diplomatibus, quibuscumque personis, sub quacumque forma, et expressione concessis; omniumque praemissorum effectum dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, et potestate praedictis, amplissime, ut praefertur, derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Caeterum diplomatum quae in concessione civitatis, quaeque in adscriptione nobilium, expedienda erunt, exempla subiicimus; quae quidem sub eadem invariabili forma typis imprimi, et in singulis respective casibus, tum a conservatoribus pro tempore Camerae Urbis praedictae, tum etiam a scriba Senatus participante subscribi, et publico S. P. Q. R. signo muniri mandamus. Decretorum quoque in nobilium